

QK. 524, 21.

II c
804

X1860. 176

DISPUTATIONEM
CIRCULAREM

de

JVSTINO,

SVB PRÆSIDIO

DAN. GVIL. MOLLERI,

Histor. & Metaphys.

Prof. Publ.

pro virili sua tuebitur

CHRISTOPH. DANIEL Mezger/

Pofonio-Hungarus.

Aldorf. d. 4. Octobr. A. 1684.

H. L. Q. C.

Literis HENRICI MEYERI, Vniverfit. Typographi.



DISSEMINATION
GIRARD

JANUARY

1852

NEW YORK

W. H. BROWN

PRINTED

AT THE

OFFICE OF THE

PUBLISHER

AND

BOOKSELLER

107 NASSAU ST. N.Y.





§. I.

Justinus, Historicus Latinus, quos habuerit *Parentes*, quamq; *Patriam*, æquè ignoratur, ac subsequuta *Vitæ* ejus *conditio*, *statusq;* ita quidem, ut ne conjectandi, circa hæc omissa, relicta sit cuiquam occasio. Unde aliquis oppidò miraretur, cur *Gualterus Burley*, Anglus, in *lib. de Vitis & Moribus Philosophorum*, qui An. 1472. editus ab *Arnoldo Terffornen*, Justinum Historicum Trogi filium fuisse tradiderit, nisi satis superq; nota foret imperitia nobilis illius Philosophi in rebus istis, quæ ad Historiam & Temporum rationem pertinent: Nimirum, judice *Vossio de Hist. Lat. lib. 2. cap. 65.* nusquam non penè cucurbitas lip-pit, scil. *Burley*, quod tamen non ingenio, quo plurimum va-luit, sed seculi attribuendum est infelicitati, quo literæ dispretæ ubivis jacebant.

§. II.

Nomen Justinus atq; *Ætatem* quod attinet, licet ex *Gerh. Job. Voss. de H. L. lib. I. cap. 32.* probatum dare nonnulli laborarint, neu-trum tamen dubitatione suâ carere, utriusq; fundamenta investi-gaturis luce meridianâ clarius patebit. Etenim quando *Vossius loc. cit.* ait: In *Ant. Arnoldi* libro nominabatur *Justinus Frontinus*: Atin codice Bibliothecæ Medicæ dicitur *M. Junianus Justinus*. Atq; hoc veriùs censeo, ob libri ejus antiquitatem: Cujus argumentum non leve est, quod literis Longobardicis scriptus sit. Equidem diffite-ri licet nolim, Codicibus MSS. præcipuè melioris notæ fideiq;, haud parum autoritatis esse tribuendum, attamen à *Vossio* hîc allegatos eum in censum venire, vel inde credi nequit, quod tam vetustiori-bus, quàm recentioribus Justinus Editoribus, præter *Justinus* nomen nullum ferè aliud usurpatum fuisse legitur: quod enim *Trogus Justi-nus* interdum appellatus sit, differentiæ duntaxat vel Historiæ causâ factum est: Ut taceam, solum *Justinus* nomen passim apud Autores citatum occurrere: Quibus omnibus accedit, literas Lon-gobardicas non semper antiquitatem codicis, multò minùs boni-tatem aut præcellentiam inferre.

§. III.

In *Ætate*, quâ Justinus vixit, adstruendâ prolixus est *Vossius*, quando *loc.cit.* post repudiatam *Gualteri Burley* sententiâ de Justinianæ ætate, quasi is Trogi Filius fuerit, adeoq; Octaviani Augusti tempore vixerit, differere pergit h. m. Eruditissimos etiam viros video esse, qui suspicentur, vixisse Justinum, postquam Imperium translatum fuit Constantinopolim: Idq; ob verba illa lib. VIII. *Græciam etiam NUNC, & viribus, & dignitate, orbis terrarum principem.* Sed NUNC istic non signat tempus, quo Justinus scribit; sed de quo scribit. Quomodo idem paulò post ait: *Et hæc potissimum facere Thebanos, Lacedæmoniosq;, antea inter se imperii, nunc Græciæ imperantis æmulos.* Ubi NUNC itidem valet, hoc tempore, quod exponimus. Planè verò vixisse arbitror sub Antonino Pio, atq; huic epitomen suam dicâsse. Id colligo ex verbis istis præfationis, *Quod ad te, imperator Antonine, non tam cognoscendi, quam emendandi causâ, transmissi.* Ita enim habent editiones antiquæ, quæ, quin MSSorum fidem secutæ fuerint, nullus dubito. Sed objiciunt, in optimis libris legi: *Quod ad te non tam cognoscendi magis, quam emendandi causâ, transmissi.* Quam MSSorum lectionem etiam Bongarsius retinuit. Sed nihil manifestius, quam non ita scripsisse Justinum. Nec enim TAM & MAGIS satis conveniunt. Quid ergò? Num dicemus MAGIS, tanquam superfluum, tolli oportere; Atqui non videtur de nihilo esse, quod in optimis libris legitur. Quare puto, scriptum primò fuisse, *Quod Antonine im. non cognoscendi magis, quam emendandi causâ transmissi.* Nempe ex *Antonine im.* fecere, *ad te non.* Ac quia sic non geminabatur, librarii hunc errorem existimantes, alterum omisere. Et sanè Justinum hunc sub Antonino vixisse, ante seculum Philippus Bergomas, lib. 8. Suppl. in temporibus Antonini Pii, ac Joa. Aventinus, in iis, quæ de Scripto-ribus primo Annalium præmittit, tradidere: Imò idem jam ante annos trecentos in Chronico suo scripsit Martinus Polonus. *Hucusq; Vossius.*

§. IV.

Quò minus autem opinioni huic Vossianæ queam accedere, facit, quod juxta mecum unicus Justinianæ sospitator *Jacobus Bongarsius*, *περὸς Φωνήσιον* istam (*ad te, Imperator Antonine.*) in MSS. Codicibus inveniri constanter negat: Sanè obtrusam & infartam eam esse

esse haud temerè quis asseruerit ab iis vel maximè, qui Justinum epitomatozem eundem putarunt cum Philosopho & Martyre, qui A.C. 150. librum apologeticum pro Religione Christiana Imp. Antonino obtulit: At hi non nisi nomine conveniunt; alter enim Christianus & Græcus, Gentilis alter & Latinus. Præterea ipse Vossius credere debet, editiones Justinianae antiquas, in quibus *ἡ ἀπολογία* illa extare dicitur, MSSorum fidem secutas fuisse. Adde quod oblatum Imperatori librum *emendandi causâ* (ceum hoc in præfatione dicit Justinus,) credi vix queat: Licet enim notum sit, Antoninum fuisse literarum omnium non modò amantissimum, sed & studiosissimum, tamen emendandis quoq; libris, præsertim in epitomen redactis, eundem adjecisse unquam animum, minus probabile videtur. *Objic.* Justinum scripsisse sic (*quod ad te, non tam cognoscendi, quam emendandi causâ transmissi,*) non est verisimile; nomen enim ejus requiritur, ad quem scripsit, sive hic posuerit, sive in præfationis hujus fronte: *Resp.* De nominis alicujus insertionem vel antepositionem ut non prorsus abnuam, *Antonini* tamen id Imperatoris fuisse, quis amabò fidem mihi faciet? Atq; isto etiam loco haberi velim conjecturas, à *Vossio* pariter ac *Scheffero* circa hunc textum allatas, quorum alter inquit ita: Puto scriptum primò fuisse, *quod, Antonine Im. non cognoscendi magis, quam emendandi causâ transmissi.* Nempe ex *Antonine im.* fecere *ad te non:* Ac quia sic non geminabatur, librarii hunc errorem existimantes, alterum omiserunt. *Alter,* Veteres, inquit, ipso *Vossio* teste ita habent: *Quod ad te non tam cognoscendi magis, quam emendandi causâ transmissi.* Ex quibus verbis colligo, lectionem veram ita sese habuisse: *Quod ad te non tam cognoscendi, Marce Antonine Caesar, quam emendandi causâ transmissi.* Error totus natus est ex compendio scripturæ, quo quis nomen Imperatoris per solas literas initiales expresserat, hoc modo *m. a. cas.* Has literas quia non intelligebat, qui debebat describere, conjunxit, & ex eis fecit *Maces.* Postsuperpervenerunt alii, qui emendarunt scilicet, & ex eo fecerunt *macis,* & postremo *magis.* Bellæ scilicet cogitationes! ex quibus, de ætate quâ vixit Justinus, an quid erui possit, viderint, ut cum *Bongarsio* loqui mihi liceat, qui genios Auctorum seculorumq; possident. Deniq; quid de *Philippi Bergomatis, Job. Aventini, & Martini Poloni* auctoritate,

tate, ad quam Vossius d.l. provocat, habendum sit, notius est quam ut multis hic exponam.

§. V.

Complures fuisse *Justini* nomine conspicuos, ex historiarum abundè liquet monumentis: Erat enim (1) *Justinus Martyr*, qui Romæ floruit temporibus Antonini Pii & successorum ejus, Marci Aurelii & Lucii Veri: Is ex Philosopho Christianus factus, Christum prædicavit, habitu (ut *Eusebius* testatur,) Philosophico, pro cujus etiam gloriâ mortem, quam sibi ipse apologiâ ad Antoninum prædixit, perpeffus est gloriosissimam. Quod autem *Martinus Polonus in chronico suo* Justinum Historicum cum Justino Martyre confudit, fœdus, judice *Vossio de H. L. lib. 1. cap. 32.* error est, cum hic, qui epitomen scripsit, in iis, quæ lib. VI, & XXX. de Mose, Josepho, & Israelitis, tradit, planè Scripturis adversetur: Unde liquet, hominem fuisse gentilem: Aperteq; inter eos ab Orosio numeratur. Ut de eo nihil dicam, quòd beatus Martyr nihil Latinè scripsisse videtur: Item quòd *Eusebius*, *Hieronimus*, *Photius*, nusquam historicam hanc epitomen inter Martyris illius scripta reponunt, (2) *Justinus Dominicanus*, qui extremis Frederici Bavarri temporibus claruit, atq; inter Historicos sui ordinis repositus est à *Leandro Alberto lib. 4. de illustribus viris Ord. Præd.* ubi inter alia reperias etiam verba ista: *Justino in Synodo XXII. generali, Bononiæ sub Joanne Teutonico actâ anno Domini clo ccxlii. demandata fuit provincia Divi Dominici vitam describendi.* (3) *M. Justinus, Lippiensis*, qui A. 1260. vixit, atq; carmine elegiaco, pro temporum illorum ratione, eleganti sanè, condidit Lippiflorium, sive chronicon Lippiense: (4) *Justinus I. Imp. Rom.* qui aliàs à quibusdam vocatur *Flavius Anicius Justinus*, item *Justinus senior* (5) *Justinus II. Imp. Rom.* cognomento *Curopolates*, qui ad differentiam Justinii I. Secundus sive Junior appellatur: (6) *Justinus*, cognatus Justinii II. Imp. Rom. quem ad Istrum excubantem idem ille Justinus II. ut erat meticulosus & æmuli impatiens, Constantinopolim evocatum, Alexandriam misit, ibiq; strangulari curavit. (7) *Justinus Diaconus*, qui à Possessore Africano Episcopo Constantinopoli degente, propter obortam Constantinopoli controversiam, ad Romanum Pontificem Hormisdam, cum literis missus est. (8) *Justinus*, qui filius erat Germani, viri Patricii, fratre Justiniani Magni nati, hunc Justinum Impera-

perator, Martino prorsus exauthorato, copiis universis, quæ apud Colchos & Armeniam erant, liberæ potestatis, & solum præfecit. Plures quidem adhuc Justinini nomine insignes viros alibi forsitan reperiri posse uti negare prorsus nolim, ita privatæ cujuslibet industriæ fuerit, eosdem hinc inde excerptos annotare; nobis duntaxat sermo erit de Justinino Historico.

§. VI.

Quid Justinus iste scripserit, parcius etiam literaturæ homines satis norunt, nempe *Epitomen Philippicarum Historiarum*, XLIV. libris comprehensam: Eam ex *Trogii Pompeji* XLIV. libris *Philippicarum Historiarum* in compendium redactis Justinus concinnavit, eoq; ipso effecit, ut *Trogii* opus *Historiarum* amplissimum, præ illo *Breviario*, seponi paulatim ac negligi cœperit, atq; tandem etiam prorsus interire. Quod enim *Aldus Senior* epistolâ eâ, quam *Perotti Cornucopiæ* & veteribus tribus *Grammaticis* præfixit, scripsit, ipsas *Trogii* historias exstare apud amicum quendam doctum, ac spectatæ fidei, & sperare, propediem in lucem edi posse, nondum assensum meruit *Eruditorum*, quin potius *Vossio de H.L. lib. 1. cap. 19.* dicente, *Amicus iste Aldo imposuit: Sanè nec dum prodiit; neq; puto, unquam prodibit.* Ceterum de *Epitome* sua Justinus ipse in præfatione loqui amavit h. m. Horum quatuor & quadraginta voluminum (nam totidem edidit scil. *Trogus Pompejus*) per otium, quo in Vrbe versabamur, cognitione quæq; dignissima excerpti; & omissis his quæ nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci; ut haberent & qui Græca didicissent, quo admonerentur; & qui non didicissent, quo instruerentur. *Philippicarum* autem *Historiarum* nomen an Justinus *breviario* quoq; suo præscripserit hariolari non possum, mihi sanè, cum nullum Justinini codicem MS. viderim, vel ideò credendum id fuerit, quod *Trogum*, respectu habito ad Imperium *Philippicum*, de quo in libris penè omnibus agebatur, titulû *historiarum Philippicarum* libris suis imposuisse constat, unde postea à Justinino pariter eundem illum retentum fuisse verosimile est.

§. VII.

Hac ipsa *Epitomes* confectione tantum abest ut laudem consecutus sit Justinus, ut potius reprehensione dignus à plerisq; eruditjs habeatur: Præterquam enim quod in causa fuit, ut nobilissimi histo-

histo-

historiarum Trogi libri, tractu temporis, interierint, profecto etiam descriptiones regionum, ceu scitu maximè necessarias & utiles, minùs laudabiliter omisit. Etiam si igitur compendia laude aliàs sua digna esse infitias ire nolim, præsertim si rerum diffusissimarum materies, in brevem, facilem & perspicuam compagem, memoriæ juvandæ & iudicii intendendi gratiâ, sit coarctanda, attamen si cum dispendio instituantur compendia prolixioris alicujus Operis, cum truncatione, omissione, interpolatione, trajectione, & id generis pluribus lincinationibus, næ compendia dicenda erunt Librorum dispendia, pestis, labes, pernicies, interitus, occasus. Nimirum Epitomas parare operum sparsiorum antiquissimû institutum est tam Græcis quàm Latinis celebratum, quorû sine dubio exemplo Justinus Pompejum Trogum, & Plinium Solinus epitomavit. At enim verò in alio argumenti genere (*verba sunt ex Reinesianis literis ad Rupertum datis & observat. in Flor. pag. 11. & 12. productis desumpta,*) non improbem excerpta, si cum iudicio fiant; qualia habemus accurata à Photio nonnulla. In Historico opere auctoris alicujus gravioris, quisquis angustâ brevitate prodesse & delectare se putat, *Tironi quidem id fecerit*, aliis minùs. Et ita de Justiniquoq; Historiarum compendio sentio, cujus maligno studio factum est, ut absolutissimo opere Philippicarum Trogi careamus, & lacunas Justininovi operis aliunde explere cogamur, in quam plurimis & frustra laboremus. Et quamvis alio fortasse sine quisq; talium Epitomatorum scripserit; nonnulli & solis sibi; de quo excusationem aliquam mereri possent: Nos tamen, quia occasione ista, & sinisteritate subsequenterum seculorum, tot utilissimi scriptores in quovis ferè genere neglecti primùm, & è manibus hominum excussi, tandem planè oblitterati sunt, dolore justo tacti detestamur merito ejusmodi, veteres præsertim Auctores, excerpti & compendifaciendi morem.

§. IIX.

Stylum Justiniquod concernit, Trogi Pompeji stylo usum esse Epitomatozem Justinum, J. H. Bœclerus in Commentat. posthum. de Scriptorib. Græc. & Lat. p. 49. rectè monuit, quemadmodum verò Trogus disertissimis viris in Probo annumeratur à Vopisco, vir priscae eloquentiæ vocatur à Justino, & severissimus auctor à Plinio appellatur; ita Justiniquoq; stylum, ceu Trogi partum, & imi-
tamen-

tamentum, bonum esse, perspicuum, fluentem, tersum & elegantem non immerito asseruerim. Certè *Raimundus Lullus lib 7. de orat. cap. 4.* est Justinus, inquit, scriptor tersus & elegans: *Jacob. Masenius in Palæstr. Styl. Roman. lib. 1. cap. 7. §. 4.* Justinus ait, ut magnis virtutibus non abundat, ita nec vitiis; *Idem loc. cit. lib. 5. cap. 15. §. 3.* Justinus, scribit, Trogi epitomen, meliori stylo, quam fide complexus est. *Job. Georg. Grævius in Dedicat. Justin.* Tam terse, tam emendate scripsit Justinus, ut seculi sui captum superare, nec solarum rerum, sed & verborum flosculos videatur ex Trogo delibasse. Num autem Justinus inter aureæ ætatis Scriptores juxta *Casp. Scioppii* opinionem referendus sit, vel ideò dubitare licuerit, quod dictio illius non ubiq; eandem redoleat: Sanè seculo aureo minimè adjudicanda esse, quæ apud Justinum seqq. saltem in locis inveniuntur, extra controversiam fuerit, e g. *lib. 2. cap. 12. num. 2.* *Et, cum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbolos proponi, & saxis proscribi curat. lib. 37. cap. 2. num. 6.* *Mithridates venenum metuens, antidota sæpius bibit, & ita se ad versus insidias exquisitis tutioribus remediis stagnavit, ut ne volens quidem senex veneno mori potuerit. lib. 2. cap. 4. n. 18.* *Hujus (nempe Marpesiæ Reginæ Filie Orithyæ) virtute tantum additum gloriæ & famæ Amazonum est, ut Herculi Rex, cui XII. stipendia debebat, quasi impossibile, imperaverit, ut arma reginæ Amazonum sibi afferret. lib. 2. cap. 12. num. 18.* Itaq; cum adunata omnis sociorum classis & intentata in bellum navale esset. Quibus & pluribus aliis etiam hoc accedit, ipsum *Scioppium* *Fam. Stradæ* stylo ad examen vocato, contendere, duo illa, *me latet & defectus viribus*, non esse aureæ ætatis formulas, utrumq; verò cum apud Justinum reperiatur, alterum quidem *lib. 13. sed res Evmenem non latuit*, alterum *lib. 12 quorum non tam studiis deficiatur, quàm annis*, næ *Scioppium* proprio se jugulasse gladio dicendum erit.

§. IX.

Obducat *Scioppius*, ita *Olaus Borricbius in Cogitat. de variis Lat. Ling. etatibus p. 4.* loquitur, Trogum Pompejum scripsisse antenatum humani generis Salvatorem, Justinum autem Trogi vestigia

gia pressè secutum, ejusq; amplissimam historiam in compendium redegisse, hinc inde tamen vocibus ferreæ ætatis modicè inspersis. Verùm scripserit ante Christum Trogius, non intercedo, sed Justinum verbis Trogi inhæsisse mordicus, aut vel unam periodum integram ex Trogo in opusculum suum transtulisse, unde demonstrabitur? Eodem argumento Florus inter aureos Scriptores cooptandus esset, cùm Livium compendiò reddat. Cæterum, quemadmodum dictionis Livianæ nihil adeò retinuit Florus, ita de Justinino non dispar erit judicium. *Huc usq; Borrichius.* Non videntur autem mihi hæ rationes tanti esse momenti, ut à sententiâ in §. anteced. adductâ hinc recedam: etenim Justinum verbis Trogi, si non statim mordicus, sollicitè tamen inhæsisse atq; plures periodos integras ex Trogo in opusculum suum transtulisse, vel inde potest demonstrari, quod in Præfat. Justinus ejusmodi vocabula adhibuerit, quæ id factum esse satis evincunt, uti quidem sunt ista: *Cognitione quæq; dignissima excerpsti: item: Breve veluti florum corpusculum feci.* Sanè *excerpere* propriè nihil aliud denotat quàm è pluribus carpendo colligere, atq; adeò non tam mutare, novare, variare, & transfigurare, quàm pro lubitu hæc vel alia ex abundantia decerpere retinere, eligere, discernere & conservare. Nimirum, verbis utar *Jac. Gothofredi Proleg. in Philostorg.* quis tam studiorum hodie rudis est, ut nesciat, rediivivis hujusmodi parietinis seu *Eclogis* & *Excerptis* Scriptorum, qui jam olim intercidere, ingens hoc seculo ad meliores quasq; literas incrementum accessisse? utpote quibus non justorum tantum passim operum instar aliquod breveq; simulacrum exhibetur; verùm quorum ope densissimis veteris memoriæ tenebris, *modico sæpe fragmento*, lux fulgentissima infertur, immanesq; hiatus implentur. Ac maximè, ubi hujusmodi *Epitomæ uberiores* existunt, & in *doctos judiciososq; Epitomatores vel Eclogarios* incurrere. Quod utrumq; hinc evenit; uberiores hæ, inquam, è Philostorgio Photii eclogæ sunt: quod titulus quoq; earum ostendit, qui sic habet, *ἐκ τῶν Ἐκκλησιαστικῶν Ἰσραηλῶν Φιλοσοφίας Ἐπιτομή.* Nempe enim *Epitoma* majus aliquid & amplius quiddam significat: *Largiora*, inquam, & *uberiora Excerpta*, quàm cujusmodi exhibent eæ, quæ *ἐκλογαί* tantum dicuntur; quarum multæ sæpe non nisi unicum aliquod caput, seu locum selectum continent,

nent, cujusmodi sunt Polybii ἐκλογαί, Legationum ἐκλογαί, similesq; Deinde *breve veluti florum corpusculum facere*, iterum longè aliud infert, quàm Justinum verbis Trogi non inhæsisse, aut nullam ex Trogo periodum in opusculum suum transtulisse: præterquam enim quòd qui de floribus lactis, salis, ætatis, nobilitatis loquitur præstantissimum quicquid in rebus illis esse potest meritò putatur intellexisse, profectò etiam Justinus dum florum ex Trogo collectorum corpusculum fecit, præstantissima quæq; rerum æquè ac verborum monumenta retinuisse dicendus erit. Deniq; uti Florum haudquaquam Livii fecisse compendium, non ita pridem in *Disp. mea de Floro*, § XIII. asserui, ita dispar longè judicium emergit de dictione Flori, à Livio recedente, & de dictione Justinii, Trogo accedente.

§. X.

Etsi cupidæ Historiarum juventuti non possum non *Justinii lectionem* commendare, propter insignem quam ex eâ rerum variarum capere potest cognitionem, attamen nondum potui à me impetrare, ut illi sententiæ adstipularer, quæ à *Jacobo Bongarsio*, ex nimio uti videtur affectu in Justinio asserendo profecta est, quando in Epist. ad Joann. Noesium, Excerptioibus ejus Chronologicis, ad Justinii Historiam accommodatis præmissa, differit h. m. *Ad historiarum studium ut accedas, requirit ætas tua; requirunt hæc tempora, quibus maturè firmare animum expedit constantibus exemplis. Ea unde petas nisi ex historiis? Historiarum autem cognitionem si inchoare à Salustii, Livii, Taciti lectione volueris, neq; rectè feceris, neq; ordine. Abrupta est, aut interrupta in eorum libris historiae series. Ab hoc tibi auctore (JUSTINO) principium sit historici studii.* Quamvis verò approbare ego etiam nequeam, historiarum cognitionem à Salustii, Livii, Taciti, & similium mutilatorum Autorum lectione inchoandam esse, tantum tamen abest ut à Justinio nobis primordia historici studii capienda sint, ut potius ab alio quovis Autore lineamenta historica methodicè proponente initium faciendum existimem. Interea vix inter legendos Historicos Justinum *Jacobo Masenio in Palest. Styl. Rom. lib. 5. c. 15. §. 3.* iudice numerare velle, nescio an ullius seriò de historico studio cogitantis merebitur applausum: ipse certè *Masenius loc. cit. l. 1. c. 7. §. 4.* Justinus, ait, *Trogi compendiator legi præter hos (scil. historicos Autores) sine noxa poterit: nam*

ut magnis virtutibus non abundat, ita nec vitiis: quæ si cum prius ex Masenio allegato loco conferantur, haud exiguum credo discrimen apparebit: Verba autem ejus se habent ita: *Justinum Trogi epitomen, meliori stylo, quam fide complexum, vix inter legendos numero, ita in Judaica historia omnia confundit erroribus, in Romana vix quicquam præstat, adversus quos odium tam jejune scribendo, quam malignè tacendo satis prodidit.* Sunt quidem, ceu rectè id ipsum verbis elegantioribus executus est *Grævius in Dedicat. Justin.* qui cum sicut tempore, sic & dictionis candore Justinum longe anteeunt; C. Nepos, Julius Cæsar, Salustius, ne de Livio cæterisq; dicam, qui in manibus doctorum hominum habentur: sed sine Justinii lectione hi aliiq; præstantissimi scriptores, qui singulorum populorum præclara facta immortalibus mandarunt literis, non possunt evolvi cum fructu. Quoties hæsitabit, quoties offendet, & tanquam in tenebris impinget, Livium versans, qui nec Carthaginensis, nec Græcarum rerum publicarum, nec regnorum, quæ cum in Europa tum in Asia condiderunt Græci, rationes, ut & tum, & antequam Romanorum bellis implicabantur, se habebant, imbiberit. Vnde verò cognitionem aliquam eorum hauriet tyro, nisi ex Justino? Nam alios, qui secundum seriem temporum res plerarumq; gentium digesserant, & in iis ordine pertexendis elaborarant, aut totos aut maximam partem absorpsit & delevit illa superioris memoriæ longa nox, & optimarum artium fatale silentium. Nec, etsi extarent, eorum, qui primis rudimentis, quasi minusculis Musarum sacris initiantur, esset, tam ponderosa volumina pervolutare. In manibus igitur, *Christoph. Coleri in epist. de studio Politico* admonitio est, *in manibus* inquam *juventutis Justinus esto frequenter*: & fatin' commodum erit ita eum lectitare, quemadmodum Gruterus noster præibat?

§. XI.

Pro falsis & erroneis quamplurima in Justino ducenda esse historiarum gnaros non fugit: quàm turpiter in rebus Judaicis aberrarit, ostendit *Benedict. Pererius in Daniele cap. 40.* quàm falsa multa stylo signaverit, *D. Augustin. de C. D. lib. 4. c. 6.* indicavit verbis hisce: Qualibet autem fide rerum, vel iste, scil. Justinus, vel Trogius scripserit: Nam quædam illos fuisse mentitos aliæ fideliores literæ ostendunt. (Ad quæ *Ludov. Vives in comment. Græci*, ait, Scripto-

Scriptores five luxuria styli: five quò res patriæ essent admirabiliores: five quò magis operibus suis lectorem oblectarent, tenerentq;: five gentis vitio, multa sunt in historia mentiti. Latini qui res Græcas tractarunt, cum necesse haberent eos sequi, etiam multa falsa pro veris asseruerunt, ut Trogius & Curtius Rufus. Nimirum neminem Scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, Fl. Vopiscus in Aureliano docet.

§. XII.

Quemadmodum Justinum epitomen suam ex Trogo Pompejo excerpisse & exscripsisse constat, ita iterum ex Justino multos multa excerpisse & exscripsisse experientia demonstrat: & quidem Orosius transcripsit ad verbum pleraq; ex Justino in suam Orchestram sive Ormestam mundi: deinde Augustinus ex Justino non pauca in libros de Civitate Dei ad verbum transtulit: præterea Lupus Ferrariensis Abbas epist. 20. ad Altuinum ex Trogo Pompejo citat de iis quæ Mithridatis excellentiam portenderint apud Justinum, ad verbum ex Justini lib. 37. sed apud Lupum nunc paulo comptius leguntur, ut in Justino debeant emendari. Deniq; maxima pars Autorum recentiorum, qui haud uno in scripto integras periodos, paginas, capita ex Justino exscripta adduxere.

§. XIII.

Sæpius Justinum ab Autoribus esse citatum utut prolixiore haud indigeat probatione; attamen unum & alterum eorum hinc adducere consuetudinis nostræ ratione ita postulante, juvat. Mentionem igitur Justini fecere (1) B. Hieronymus, qui proœmio in Daniele adduxit ista: Ad intelligendas extremas partes Danielis multiplex Græcorum historia necessaria est, &c. præcipuèq; nostri Livii & Pompeji Trogi, & Justini, qui omnem extremæ visionis narrant historiam, & post Alexandrum usq; ad Cæsarem Augustum, Syriæ & Ægypti, id est, Seleuci & Antiochi, & Ptolomæorum bella describunt. (2) Augustinus, qui lib. 4. de C. D. cap. 6. hæc habet: Justinus, qui Græcam vel potius peregrinam, Trogi Pompejum secutus non Latine tantum sicut ille, verum etiam breviter scripsit historiam, opus librorum suorum sic incipit: Principio rerum &c. (3) Paul. Orosius, qui in orchestra Mundi lib. 1. cap. 8. & 10. passim Justini mentionem injicit. (4) Isidorus in lib. de Natura rerum. (5) Jornandes, in libro de reb. Gothicis. (6) Mar-

tinus Polonus in chronico. (7) *Job. Saresberiensis, qui in Policrat. lib. 5. cap. 12.* quod, ut mecum, inquit, conjicias, collationem Philippi & Alexandri, Trogo Pompejo, vel Justino, compendiario ejus, si mavis, auctore revolvamus. Taceo plures alios, præcipuè recentiores, quorum numerus tantum non est infinitus.

§. XIV.

Editionibus Justinii publici juris faciendis & *commentationibus* illustrandis Viri etiam eruditissimi, superiori & præfenti seculo, neq; sumtibus, neq; operæ pepercere: quorum succinctam enumerationem, serie Alphabeticâ institutam, nosse, è re fortè fuerit unius vel alterius bonarum artium studiosi, excipiunt ergò se invicem Autores ordine isto: (1) *Anonymus*, Anglus, qui bellam & nitidam editionem Justinii publici juris fecit *Oxonie*, annotante Grævio in Præf. ad Justin. (2) *Matthias Berneggerus*, in 8. A. 1631. Argentorat. (3) *Jacob. Bongarsius*, in 8. Paris. A. 1581. (4) *M. Z. Boxbornius*, in 12. A. 1638. Amstel. (5) *Joseph Cantel*, in 4. Paris. A. 1677. in usum Delphini, (6) *Daniel Elzevirius*, Amsterodami in 12. annus non succurrit, (7) *Tanaquil. Faber*, in 8. A. 1668. Salmur. (8) *Henr. Lor. Glareanus*, in 8. A. 1562. Basil. (9) *Jo. Georg. Grævius* A. 1668. in Ultraject. & iterum A. 1683. Lugd. Batav. in 8. (10) *J. Gruterus*, A. 1612. in 8. Marpurg. (11) *Juntarum editio Justinii* Florentina A. 1525. (12) *Th. Kangieser*, A. 1510. in 8. Ursell. (13) *G. Major*, A. 1533. in 8. Colon. (14) *Francisc. Modius*, A. 1587. in 8. Francof. (15) *Dan. Pareus*, A. 1630. in 8. Francof. (16) *Casp. Sagittarius*, qui Disputationibus aliquot Justinum illustrare est aggressus, A. 1676. Jenæ, in 4. (17) *Jac. Schaller*, qui laudabilia politica ex Justino edidit A. 1649. in 4. Argentor. (18) *Joh. Scheffer*, A. 1678. in 8. Hamburg. (19) *C. Schrevelius*, A. 1659. in 8. Amstel. (20) *J. Sichardus*, A. 1530. in 8. Basil. (21) *Ant. Thyfius*, A. 1650. in 8. Lugdun. (22) *Joh. Vorstius*, A. 1673. in 8. Lips. (23) *Isaac. Vossius*, A. 1640. in 12. Lugd. (24) *Vratislaviensis Justinii editio*, cujus titulus est hic: *Trogus Justinus cum notis selectissimis Variorum, Berneggeri, Bongarsii, Vossii, Thyfii, &c.* Editio accuratissima, accurante S. D. M. C. Vratislaviæ, sumpt. Esaiæ Fellgibellii Bib. A. 1660. in 8. Ex omnibus jam istis Editionibus *optimam esse Grævii Leidensem*, ipse Grævius in præfat. ad eam verbo juratorio affirmat, quando inquit: *Tibi, lector, possum adjurare liquido*
sine

sine fuco, sine fallaciis & ostentatione, à qua semper fui alienissimus, meliorem editionem adhuc visam non esse hac Leidensi. Etsi autem proprio quid cuiusq; de se, rebusq; suis iudicio communiter tribuendum sit, non ignorem, tamen hic nolo id usurpare, sed voluissem tantum, ut à Vorstianis insultibus Vir iste sibi temperasset, quando in hæc verba erupit Præfat. in Justin. In Germania Joannes Vorstius, variis eruditis ingenii monumentis celebris, anno 73. Justinum ornatiorem Lipsiæ iussit in publicum exire. In quo desideres, quod meliores lectiones, quas ex Juntina non solum attuleram, sed & asserueram, & in contextum editionis meæ deleta maculosa scriptura, receperam, laudat quidem à me prolatas, sed sibi vindicat, perinde ac si à nemine fuissent ante probatæ, crebro in iis adstruendis usus meis exemplis & rationibus. Sed viri, qui dudum è vivis excessit, aliis meritis hæc levicula donentur. Nec cum superstitibus quidem de his contendere velim, nec cum quocquam alio.

§. XV.

MSSos Justinii codices conquirendo, in mentem veniunt hi seqq. (1) *Juntarum* Codices MSS. (2) *aliquot veterrimæ Justinii membranae* in illustrissima Magni Etruriæ Ducis Bibliotheca asservatæ, (3) *Aldi Manutii* Codex MS. (4) *Jac. Bongarsii* Codd. MSS. quippe qui, teste Grævio in Dedicat. Justin. pluribus membranis Justinii affluebat, (5) *Franc. Modii* Cod. MS. (6) *Tanaquil. Fabri* Cod. MS. (7) *quatuor vetusti codices Anglicani*, quibus doctus quidam Anglus Anonymus, in sua Justinii editione usus est, (8) *Dionys. Vossii* Cod. MS. (9) *MSSus Justinii codex*, (verba sunt Vossii de H. L. lib. 1. c. 32.) extat in bibliothecâ publicâ Academiae Cantabrigiensis, & Oxonii in collegio corporis Christi. Ac nescio quid sibi velit, quod (ut est apud Th. James) Oxonii in bibliotheca Collegii novi extare dicatur, Epitome historiarum per Trogum Pompejum libb. IV. Plures circa præsens argumentum manu exaratos libros recensere chartæ temporisq; vetat angustia.

§. XVI.

Conversiones Justinii è Latino in aliud quodvis idioma, methodo quidem nostrâ exigente, producendæ jam forent, nisi me Autorum æquè ac Locorum, Annorum pariter & Formarum, quibus eæ
stipa-

ib. 5.
bi &
ma-
tio-

ibus
ulo,
me-
uerit
è in-
m &
ante
631.
M. Z.
Paris.
mi in
Sal-
eorg.
in 8.
Fu-
rsell.
587.
Casp.
tag-
poli-
effer,
nstel.
650.
saac.
, cu-
ario-
ratis-
ibellii
m esse
torio
quido
sine

Tc

804

16. (: 80)

stipatæ lucem publicam adspexere, in præsens tempus caperet ob-
livio: Redditam verò esse Justinii epitomen historiarum *Germa-
nicè, Anglicè, Belgicè, Gallicè, Hispanicè, Italicè*, tantò magis crede-
re par fuerit, quantò majori curâ Nationes istas eniti constat ad
res quasq;, & vel maximè historicas, memoriâ complectendas.
De *Hungarica, Bohemica, Polonica*. & in alias quasvis linguas Ver-
sione Justinii, licet ne fando quidem aliquid acceperim, negare
tamen prorsus non ausim, easdem quoq; factas fuisse, ob inna-
tum his quoq; gentibus desiderium notitiæ acquirendæ regnorum
& rerumpublicarum, quæ ante natalem Salvatoris nostri flo-
ruere.


§. XVII.

De *Vitâ* Justinii nihil in Autorum lectione hucusq; potui repe-
rire, ut adeò ex arena funiculum neçtere cuipiam videri queam, si
de Justinii educatione, informatione, vitæ conditione, conjugio,
aliisq; vitam hominis comitantibus rebus proferre quicquam aude-
rem: *Martinus* quidem *Polonus* in Chronico suo *Justinum Pompeji
Trogi discipulum* facit, sed eâ fide ac autoritate, quâ *Gualterus Bur-
ley* eundem Trogi filium fuisse tradidit, conf. Disp. hujus §. I. De
Morte itidem Justinii altum est apud Autores silentium, etiamsi
enim seculo secundo eam contigisse statuendum sit, utpote circa
cujus medium ferè floruisse vulgò censetur, genus tamen Mortis,
annum, diem, & horam velle definire, aquam esset
è pumice postulare.



VDT

101



QK. 524, 57.

IIc
804

X1260.476

DISPUTATIONEM
CIRCULAREM
de
JVSTINO,
SVB PRÆSIDIO
DAN. GVIL. MOLLERI,
Histor. & Metaphys.
Prof. Publ.
pro virili sua tuebitur
CHRISTOPH. DANIEL Mezger/
Pofonio-Hungarus.
Aldorf. d. 4. Octobr. A. 1684.
H. L. Q. C.

Literis HENRICI MEYERI, Vniverfit. Typographi.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

